

LATINA PRO NELATINÁŘE – HODINA XI.
ČETBA

BIBLIA SACRA IUXTA VULGATAM VERSIONEM

III Reg. 3, 16-28

16 tunc venerunt duae mulieres meretrices ad regem
steteruntque coram eo

17 quarum una ait obsecro mi domine
ego et mulier haec habitabamus in domo una et peperim apud eam in cubiculo

18 tertia vero die postquam ego peperim peperit et haec et eramus simul
nullusque alius in domo nobiscum exceptis nobis duabus

19 mortuus est autem filius mulieris huius nocte
dormiens quippe oppressit eum

20 et consurgens intempesta nocte silentio
tulit filium meum de latere meo ancillae tuae dormientis
et collocavit in sinu suo

suum autem filium qui erat mortuus posuit in sinu meo

21 cumque surrexissem mane ut darem lac filio meo apparuit mortuus
quem diligentius intuens clara luce
deprehendi non esse meum quem genueram

22 responditque altera mulier non est ita
sed filius tuus mortuus est meus autem vivit
e contrario illa dicebat mentiris

filius quippe meus vivit et filius tuus mortuus est
atque in hunc modum contendebant coram rege

23 tunc rex ait
haec dicit filius meus vivit et filius tuus mortuus est
et ista respondit non

sed filius tuus mortuus est et filius meus vivit

24 dixit ergo rex
adferte mihi gladium

cumque adtulissent gladium coram rege

25 dividite inquit infantem vivum in duas partes

et date dimidiam partem uni et dimidiam partem alteri

26 dixit autem mulier cuius filius erat vivus ad regem

commota sunt quippe viscera eius super filio suo

obsecro domine date illi infantem vivum et nolite interficere eum

contra illa dicebat

nec mihi nec tibi sit dividatur

27 respondens rex ait

date huic infantem vivum et non occidatur

haec est mater eius

28 audivit itaque omnis Israhel iudicium quod iudicasset rex et timuerunt regem

videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium